



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De muliere cum qua & pater, & filius fornicati sunt. xvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*De illo qui qui stuprauerat quandam quam frater eius
postea duxerat uxorem. Cap. XIII.*

Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater eius *Ex eodē*
nesciens eandem duxerit uxorem: frater eo quod fra- *cap. 5.*
tri crimen calauerit, pœniteat, & post pœnitētiam nubat.
Mulier autem vsque ad mortem pœniteat, & sine spe con-
iugij maneat.

De eadem re. Cap. XIII.

Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciēs *Ex eodē*
cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ suæ pœni- *cap. 6.*
teat, post pœnitentiam autem, frater ignarus sceleris con-
iugium accipiat si vult.

De eadem re. Caput XV.

Item indicatum est quendam stuprasse quandam fœmi- *Ex cōcil.*
nam quam postea frater eius accepit uxorem. Statuerūt *Matisce.*
eum qui stuprauit, & à se stupratam fratri calauit: quia ge- *cap. 5.*
minauit peccatum, pœnitentia districtiori castigandum.
Coniugium tale dissolui oportere, & mulieri quidem nun-
quam dari potestatem nubendi. Illis autem pro misericor-
dia coniugium indulgere, sed cum pœnitentia.

*De muliere cum qua, & pater, & filius fornicati
sunt. Caput XVI.*

Quidam fornicatus est cum quadam muliere, postea *Ex cōcil.*
filius nesciens patris factum stuprauit eandē. Quod *Triburi.*
cū pater rescisceret, de se filioq; confessus est. *cap. 6. 2*
Statuerunt melius esse, vt taliter lapsis cum digna pœni-
tentia legitima permittantur coniugia, quā fortē deterius
delinquant. Fornicaria autem, sine spe coniugij maneat.

*De illo qui cum uxore fratris sui fornicatus est.
Caput XVII.*

Si quis cum uxore fratris sui dormierit, adulter & mœ- *Ex eodē*
cha diebus vitæ suæ absque coniugio maneant. Ille ve- *cap. 12.*
rò cuius vxor fuit, si vult, aliam coniugem accipiat.

De illo qui sponsam filij sui oppresserit. Cap. XVIII.

Si quis spōsam filij sui oppresserit, & postea filius eius eā *Ex eodē*
duxerit: pater postmodū non habeat uxore, nec ipsa mu- *cap. 13.*
lier virum, filius, qui facinus patris ignorauit, aliā accipiat.